STATVTA COLLEGII MAGNIFICORVM DD. MEDICORVM PLACENTIAE.



PLACENTIAE

APVD VINCENTIVM COMITEM MDLXIX.


ARTIVM ET MEDIC · DOCTORVM · PLACEN · COLEGIVM · D · D · D ·
VERA SALVS

ALL'ILLVSTRISS.

ET ECCELLENTISSIMO S.

ET PADRON MIO OSSER.

IL S. DVCA DI PIACENZA ET PARMA ETC.

Vincenzo Conti.

HAVEND'IO *à dar' in luce li statuti, & ordini dell'Eccelso Collegio de' Signori Fisici di questa sua Magnifica Città di Piacenza, & disiderando dedicarli à vn Capo, che non meno fosse amoreuole nell' accettarli, che & atto, & caldo nel farli inuiolabilmente osseruare; hò giudicato mio debito di elegger' V. Ecc. Illustriß. per suo protettore, & Duce. Degnisi dunque di accettarli con quella prontezza d' animo, che io gli li consacro, & dono; sì per le ragioni sudette; sì ancora acciò gli siano vn chiaro segno del disiderio caldißimo, che io tengo di seruirla sempre, come per questo mi son mosso à venire con le mie stampe à viuer' & morire sotto l' immortal' nome suo; dell' Altezza dell' Inuittiß. Madama Margherita Farnesa d' Austria di senno, valor & prudenza, esempio del secol nostro, & parimente, sotto'l potentißimo braccio del Magno Prencipe* ALESSANDRO, *Prencipe ben degno & vnico figliuolo di così Illustrißimi progenitori; le infinite, & gran' lodi*

de' quali, lascierò ricordarle à piu sublime ingegno, & piu purgato inchiostro dil mio; pregherò ben Vostra Eccellenza Illustriss. si degni accettare il picciol presente, con quella sincerità di cuore, & affettione, che io gli li dono. Dalla Stampa di Piacenza li deciaotto Febraio 1569.

STATVTA

COLLEGII MAGNIF. DD.

MEDICORVM

PLACENTIAE.

CVM OB DIVTVRNAM multorum præteritę ætatis Medicorum incuriam, & negligẽtiam leges, & instituta Dominorum artium, & medicinę Doctorum paruifacta iãdiu, & despecta iacuissent, ac penitus ferè abolita fuissent. Nam illa etiam mendis, vitijsq; prorsus nõ carebant, ex quibus postea collegij eorundem Medicorum autoritas, & amplitudo indies magis conuellebatur, & ĩminuebatur, ęgrotãtibus vero huius almę vrbis Placentiæ haud spernendum, nec leue detrimentum sequebatur. Hæc enim iam supina cõniuentia ansam prębuit, vt multi imperiti Sycophantę, & ĩpostores nulla cohibiti lege passim hac diuina arte abuterẽtur, & solo Medici nomine arrepto in nostram ciuitatem conuolarent, conflue,

rentq; cum maxima profectò quamplurimorum ciuium tum pecunię, tum vitę iactura. Quamobrem D. Prior vnà cum omnibus Medicis physicis, nunc de collegio publicę vtilitati, ac ipsorumet priuatæ dignitati consulere cupientes, prædicta sua statuta, vbi obscura erant, ne ex hoc errandi occasio in posterum daretur, declarare, quęúe mancha, & imperfecta, vel deprauata, & incôcinna essent colligere, ordinare, supplere, ac pro temporis rône im mutare decreuerunt; Quippè iuxta prouerbiū, quæ noua emergunt, nouo indigent consilio. Conuocatis igitur omnibus artium, & medicinæ Doctoribus nempe: Dño Io. Paulo de Modoetia anni pręsentis 1558. dignissimo Priore. D. Francisco Villa. D. Alberto Gazio. D. Ioanne Baptista Ardizono. D. Antonello Fasolo. D. Riciardo Villa. D. Leonida Mentuato. D. Tiberio Vrso. D. Iosepho Ceredo. D. Lelio Rebufo. D. Carolo Petra alba. D. Petro Carreno. D. Petro Philippo Melchiodo. & D. Ioanne Baptista Cerro, cunctis in vnam, & eandem sententiam cōspirantibus, hęc infra dicenda inuiolabiliter seruari cōstituerunt, & sanxerunt, non obstantibus quibuscunq; Decretis, ordinibus, statutis, & consuetudinibus in contrarium facientibus.

Primum statutum de electione Prioris, & eius officio, & quis, qualisq; debeat esse Prior.

PRIMO statuerunt, & ordinaueruut, quòd omni, & singulo anno ante festū Sanctę Catherinæ per diem vnum ad minus, Prior collegij artistarum,

&

& Medicorum, ciuitatis Placentię congregari faciat totum collegium, in Ecclesia maiori, vel Sancti Donini Placentiæ, & ipsi Collegio proponere, quòd instat tempus electionis noui Prioris. Posteà eligatur Prior hoc ordine, Quod ĩcipiat electio primum ab antiquiore .s. prius collegiato, aut medicinę solum, aut artium, & medicinæ doctore. Deinde anno sequenti deueniatur ad sequentem antiquiorem doctorem prius tamen collegiatum, & sic vsq; ad iuniorem procedendo. Posteà iterum incipiat electio fieri ab antiquiore. Die vero beatæ Catherinę virginis, & martyris .s. vigesimaquinta Nouembris cõgregatis Doctoribus in ecclesia maiori, aut alibi pro oblatione fienda ad reuerentiam Dei, & beatæ Catherinæ detur possessio Prioratus, & sacramentum Priori nouo de seruandis pro posse statutis, tam factis, quàm fiendis, pro honore, & vtilitate collegij &c. Die vero sequenti, videlicet Vigesima sexta Nouembris teneatur Prior nouus cõgregari facere collegium in ecclesia Sancti Donini Placen. & ibi præstare sacramentum omnibus collegiatis, de statutis seruandis, & quòd sibi Priori, ac successoribus suis pro tempore obediet quilibet eorum in licitis, & honestis. Nullus tamẽ in Priorem eligi debeat, nec possit, nisi sit Doctor de collegio, aut medicinæ tantum, aut artium, & medicinæ, siue sit numerarius, siue supra numerarius, ita tamen quòd nullus possit esse prior, nisi sit doctor medicinæ, & ciuis Placentinus originarius. Si vero casus accideret, quòd aliquis de collegio esset absens à Ciuitate Placentiæ, ad quem perueniret electio Prioratus, si præsens esset, & sit lõgam mo-

ram facturus, extra Placentiam, ita quòd non esset conueniens, propter longam absentiam ipsum eligi in priorem: Eligatur de præsentibus doctoribus, ille ad quem electio successiue perueniret, ac si ille de collegio non foret amplius reuersurus, & si postea in tempore prioratus illius alterius veniret, ille absens ad morandum in ciuitate Placentiæ, completo anno prioris, tunc existentis, eligatur ille qui fuerat absens, & venit ad morandum. Posteà perfecto eius anno fiat electio illius ad quem spectasset, si absens non venisset, quod si contingat, vel breui absentia, vel quouis alio impedimẽto Priorem collegij negotijs non posse interesse, Tunc Senior collegiatus præsentium doctorum in omnibus vice prioris fungatur. Prioris autem officium sit, omnes collegiatos congregare ad collegium, condemnandos condemnare. In factis collegij discordes concordare pro posse, Vota, & sententias omnium ordinatè colligere, Ius vnicuiq; reddere, & omnibus, atq; singulis pręcipere in oĩbus licitis, & honestis, pro collegij honore, & vtilitate seruãdis.

Prioris officium

Secundum statutum de electione Thesaurarij. seu depositarij, & eius officio.

ITEM statuerunt, & ordinauerunt, quòd eligatur post electionem noui prioris vnus de doctoribus de collegio, incipiendo à iuniore vsq; ad seniorem procedendo in thesaurarium, siue depositariũ, penes quem reponatur tota pecunia pertinens collegio, si qua fuerit, ita tamen quòd pecuniæ examinum, conuentuum, & introitus in collegium per

eundem

eumdem distribui, & dispensari debeant inter doctores, vt infra dicetur. Reliquæ vero pecuniæ quæ alijs occasionibus colliguntur, non possint expendi vel diuidi absque licentia duarum partium de tribus collegij; Idem teneatur habere librũ, & in eo scribere rationes pecuniarum collegij, quæ ad suas manus peruenerint. Quod officium duret per annum tantum. Et si casu contingeret, quòd in fine officij reperiretur iunior doctor de collegio, qui .s. ingressus fuisset collegium post ipsum eligatur ille iunior in Thesaurarium, finito præcedentis officio. Si vero accideret cadere in eandem personam ambo officia .s. Prioratus, & Thesaurarij eligatur in thesaurarium, prior antiquus, & postea transacto anno, eligatur in thesaurarium ille, qui fuisset electus, nisi prioratus officium impedisset, & vlterius proceden do in electione depositarij ordine retrogrado ordini electionis prioris.

Tertium statutum de syndicatu Prioris, & Thesaurarij.

ITEM statuerunt, & ordinauerunt, quod nouus prior post electionem ipsius, & thesaurarij infra dies octo, teneatur congregare collegium, & proponere si aliquis voluerit obijcere aliquid cõtra priorem, & Thesaurarium antiquos, aut contra aliquẽ eorum. Quia aut facta fuerit per aliquem eorũ iniuria alicui de collegio, aut quia non sint seruata statuta, aut quia sit fraus in pecunijs collegij, aut quomodocunq; in his quæ pertinent ad collegium, quod si aliquod erratum deprehenderit, ac diligen-

ter

ter intellexerit, prior nouus, aut contra priorem, aut theſaurarium antiquos, teneatur infra quindecim dies eos abſoluere, aut condemnare. Pœna autem erit ſecundum rei, & iuris exigentiam. ——

Quartum ſtatutum de electione Bidelli, & notarij [illegible] & eius officio.

ITEM ſtatuerunt, & ordinauerunt, quòd eligatur vnus Bidellus, & vnus Notarius, vel cõfirmentur electi aliàs: Cuius Bidelli officium ſit ire perſonaliter ad domum prioris, & ei obedire in licitis, & honeſtis, & pariter ire ad domos omnium doctorum de collegio, vel aliter eos conuenire, ac eis, & cuilibet eorum notificare examina, congregationes, funeralia, & vniuerſaliter actus omnes, & ſingulos tam priuatos, quàm publicos. Quibus actibus præſentes eſſe debeant doctores collegij, ſiue omnes, ſiue aliqui ex eis vbi eis per Bidellum fuerit notificatum. Et ſi Bidellus neglexerit priori obedire, poſſit Prior, & debeat ipſum condemnare vſq; ad quantitatem ſolidorum quinq;. Si autem non fuerit præſens actibus, diſputationibus, examinibus, conuentibus &c. priuetur, & condemnetur ſalario ſibi contingente. Si vero non notificauerit alicui, aut aliquibus de collegio ex parte dñi Prioris id quod notificare debuit, condemnetur Bidellus in pœna in qua collegiatus, vel collegiati eſſent condemnandi, ſi notificationi nõ paruiſſent. Notarij vero officiũ ſit facere inſtrumenta, & ſi expediens fuerit, etiam omnes actus cauſidicos ipſi collegio, aut aliquibus collegiatis in factis collegij

gij dũtaxat ꝑtinentes. In examinibus vero parare cartã albã pro ſcribendis approbationibus & reprobationibus examinatorũ ĩ artibus, & medicina, poſſit in caſu neceſsitatis D. prior committere notario vices Bidelli & ecõuerſo, altero eorũ cã licita abſente.

Quintum ſtatutum de oblationibus fiendis.

ITEM ſtatuerũt, & ordinauerũt, quòd omni anno portẽtur duo luminaria cerea honorabilia in die feſtiuitatis corporis Dñi Ieſu Chriſti à principio ꝓceſsionis vſq; ad finẽ, cuius rei expenſa ſolui debeat ꝑ oẽs collegiatos, ſiue artiſtas, ſiue phyſicos, & hoc æquali portione, ſcilicet quòd tantũ ſoluat, vnus quantũ alter. Itẽ in omni anno in die feſtiuitatis S. Donini, fieri faciat Prior, qui pro tunc fuerit vnũ, aut duo luminaria cærea ponderis quattuor librarũ ceræ ad minus ſoluẽda æqualiter per omnes collegiatos. Et ꝑcipi faciat oĩbus collegiatis ſub pœna ſolidorũ quinq; pro quolibet, quòd debeant ſimul collegiatim interreſſe vni miſſæ celebrãdæ in die ꝑfatæ feſtiuitatis S. Donini, & offerre prædictas libras quattuor cæræ, & aliquid vltra ſi voluerit. Itẽ omni anno teneatur Prior collegij facere fieri cærẽũ vnũ librarũ quattuor ſoluendum æqualiter ꝑ omnes collegiatos, tam numerarios, quàm ſupernumerarios, tã Artiſtas, quàm phyſicos, portandũ ad eccleſiam Sãcti Antonini martyris in die feſtiuitatis eiuſdẽ, ſcilicet die quarta Iulij. Teneaturque Prior cõgregari facere totũ Collegiũ ad offerendum dictum cæreum, & audiendum vnam miſsam, ſicut in feſto Sancti Donini.

Item

Item omni anno in festo Sanctę Catherinæ virginis, & martyris fieri faciat Prior Antiquus vnum luminare cęreum ponderis librarũ quattuor ad minus offerendum ecclesiæ maiori ad altare Sanctæ Catherinæ, simul cum alijs doctoribus iuristis, ad quam oblationem citentur omnes doctores collegiati, sub pœna solidorum quinque pro quolibet, qui non interfuerit, legitima causa non obstante, quem quidem cęreum teneantur soluere doctores collegiati dũtaxat, siue artium tantum, siue medicinę tantum, siue artium, & medicinę, tam numerarij, quàm supernumerarij, diuisa æqualiter expensa per omnes & quemlibet eorum.

Sextum statutum de eis, qui volunt subire examen in Artibus vel medicina, vel oĩbus simul, & quas cõditiones habere debent, & quãtũ soluere debẽt hi qui in ciuitate Placentiæ volunt examinari, & conuentari.

ITEM statuerunt, & ordinauerũt, quod nullus possit acceptari ad ingressum examinis, siue Artiũ, siue medicinę, siue omnium simul, nisi fecerit vnã disputationem publicam in studio generali, quòd possit probare suo sacramento, & vno teste ad minus, aut in ciuitate Placentiæ ad quem actum sit conuocatum collegium doctorum illius facultatis in qua vult doctorari, si vult examinari in artibus, studuerit per tres annos ad minus, & militauerit illis tribus annis sub approbato Doctore in studio publico. In medicina vero studuerit, & audierit quattuor annis ad minus, praticaueritque cum approbato doctore, vel aliquibus per annum ad minus

nus in ciuitate Placentiæ, ante vel post eius doctoratum, de quibus omnibus prædictis stetur examinandi sacramento, nisi manifeste appareret contrarium. Teneatur quilibet promouendus in aliqua prædictarum facultatum, siue artium, siue medicinę, siue artium & medicinæ simul subire duo examina, vnum priuatum, & aliud publicum, siue rigorosum, & accipere tantum duos promotores numerarios de collegio illius facultatis in qua vult examinari. Qui autem examinandi sunt in artibus, & medicina persoluere debent centum, & decem libras imperiales, nisi iurauerint de paupertate, & tunc persoluant sexaginta duas libras, & solidos decem, quæ pecuniæ soluendæ sunt ante introitum examinis rigorosi thesaurario, siue Bidello, postea diuidendę hoc modo, pro conuentu priuato aureũ vnum, siue scutum iusti ponderis pro quolibet promotore. Pro conuentu publico cuilibet promotori aureos duos boni ponderis. Item pro conuentu priuato teneatur soluere Bidello librã vnam, & solidos quattuor, pro cõuentu publico florenum vnũ in moneta. Itẽ D. Priori collegij libras duas. Item pro oblatione missę spiritus sancti sol. quinque, & pro pulsanda campana solidos octo. Pro oratione Domini Vicecanzellarij solidos sexdecim. Pro apparatu salę solidos octo. Pro notario, solidos octo. Item pro Domino Canzellario studij, siue dño Episcopo florenos quattuor in moneta. Item notario, siue canzellario episcopalis curiæ florenos duos pro priuilegio finito cum sigillo pẽdẽte, quos duos florenos dandos suprascripto notario teneat penes se Bidellus, aut thesaurarius collegij, quous-

que datum fuerit priuilegium finitum cum sigillo; quod residuum est pecuniarum diuidatur inter doctores numerarios de collegio actui præsentes. Si tamen aliquis in ciuitate Placentiæ fuerit impeditus, vel graui infirmitate, vel alia vrgente ex causa, eius ratio habeatur, ac si præsens esset.

Septimnm statutum de modo præsentandi, punctandi, & examinandi publice aliquem in medicina, siue in artibus, & de modo approbandi, siue reprobandi.

Item statuerunt, & ordinauerunt, quòd publice examinandus, in die præcedenti præsentari debeat per suos promotores Dño Canzellario, aut vicecanzellario ciuitatis Placen. rectori vel vicerecto ri, si fuerint D. Priori vel vicepriori, & alijs collegij Doctoribus, postea D. canzellarius, vel vicecãcellarius det sacramentũ examinando, quòd studuerit tempore, & loco legitimo, & actus necessarios fecerit. Det etiam oĩbus promotoribus sacramentũ de sufficientia examinandi, & assignet diẽ, & horã audiendę missę spiritus sancti, punctorũ assumendorũ, & examinis subeundi. Examinando in artibus dentur puncta in libro posteriorũ Aristotelis, & in libro physicorũ eiusdem. In medicina vero dentur puncta in libro artis paruę Galeni, & in libro Aphorismorum Hyppocratis, puncta sic assignari debent, portet vnus promotorũ ante dñm canzellarium, vel vicecanzellarium librum clausum in quo assignari debent puncta. Dñs aũt canzellarius ipsum aperiat vbi vult, deinde mittat vni ex doctoribus collegij de iunioribus, qui non sit pro tunc promotor, & ille

ille doctor nominet punctū quē vult, deinde ſic fiat de puncto alterius libri, quæ puncta ſcribātur ꝑ Bidellū in cędulis, & poſtea dentur doctoribus collegij. Examinandus ſic legere debet, primo incipiē do à puncto ſibi aſſignato, & continuè punctualiter legēdo, quouſq; D. Prior, vel viceprior dixerit, ſufficiat pro nunc. Poſtea iterū redeat ad principiū puncti, ipſamq; literā continuet ſi opus fuerit ad præcedentia, deinde diuidat in partes, & particulas, ꝓut opus fuerit. Exponat ꝑterea ſine notatis, & ſine dubijs ſententiam declarādo vniuſcuiuſq; partis, & cū declarauerit vnā partē legat textum illius partis, & ſic vltra ꝓcedat quouſq; D. Prior dixerit ſufficiat. In Aphoriſmis vero ſolū legitur & exponitur aphoriſmus vnus, comētū vero dn̄i Galeni ſuper illo aphoriſmo diuiditur, & vniuſcuiuſq; partis ſentētia declaratur ſine lectione illius comenti. Modus arguendi talis ſeruari debet; primo ſi D. rector, aut vicerector fuerit ipſe incipere debet vel eo deficiente D. Prior, aut viceprior, deinde iunior doctor de collegio de tunc exiſtentibus in collegio, deinde alter iunior, Deinde iterū alter tertius iunior, & ad plus quartus, qui ēt ſit vltimus. Contra quēlibet punctum argui poſſit per quēlibet duobus medijs ad plus pertinentibus, & duobus ĩpertinentibus ſolum ſiue queſtionibus, ſiue problematibus, ſiue vna queſtione & vno problemate. Contra reſponſiones ĩpertinentiū replicare nō liceat. Contra vero reſponſiones pertinentium ſola vna replicatione pro qualibet reſponſione quattuor argumentorū liceat replicare, ita vt in ſumma quattuor argumenta ꝑtinentia, & quattuor replicationes ad plus, & duo impertinentia

nō ſeruat+

sufficiant pro quolibet arguente. Vltimo autem arguēti moris est non respondere. Finito examine exburset pecunias Depositarius domino Canzellario, siue vicecanzellario, & dominis Promotoribus, Dominis doctoribus de collegio, & cæteris quibus obuenient secundum portiones suas. Reseruatis tamen illis canzellarij curię episcopali, quæ exbursari debent post finitum priuilegium cum sigillo. Deinde surgāt, & Promotores, & examinatus a loco in quo sedebant dum fiebat examen Notarius vero collegij præparet cedulas albas, super quibus quilibet doctor collegij scribat, aut approbo, aut reprobo, & si plures fuerint cedulę approbatorię, examinatus erit approbandus a domino canzellario, vel vicecanzellario studij, si vero plures fuerint cedulę reprobatorię, ab eodem reprobabitur. Si quis vellet examinari in vna artium, vt puta in Gramatica punctetur in Prisciano maiori, aut minori. Si in Rethorica, pūctetur ī Rethorica Aristotelis, aut in noua, siue veteri Rethorica Ciceronis. Si in Astrologia, punctetur, aut in libro Celi, aut Metheororū Aristotelis, aut in Centiloquio Ptolomei. Si in Geometria punctetur in vno primorum sex librorū Euclidis. Si in Arismetica punctetur in vno aliorum sex librorum Euclidis. Si vero in Musica, punctetur in Musica domini Boetij, seruatis modo tamen & forma, vt in alijs. Et quòd studuerit p duos annos ad minus in prædictis scientijs. Disputaueritq; generaliter, aut suum fecerit examen priuatū, & ipso soluēte pro quolibet promotore libras tres, & collegio doctorum artium, libras duodecim, Bidello soli dos viginti, Notario solidos quattuor.

Dño

Domino Epiſcopo libras tres, & ſolidos quattuor. Notario domini Epiſcopi pro priuilegio finito cum ſigillo libras tres, & ſolidos quattuor. Pro apparatu ſalę, ſolidos octo, pro oblatione in miſſa ſolidos quinq;. In modo punctandi, arguendi, legendi, & approbandi, & omnibus alijs ſeruetur vt ſupra.

Octauum ſtatutum, qui admitti poſsint in collegium De numerarijs, & ſupernumerarijs.

ITEM ſtatuerunt, quòd nullus poſſit ingredi collegium dominorũm artium, & medicinæ doctorum niſi ipſe, & eius pater ſit cuius originarius ex ciuitate, vel diſtrictu Placentiæ, & niſi ſit doctoratus in ciuitate Placentiæ, ibiq; omnia doctoratus inſignia ſumpſerit, & niſi ſit natus ex legitimo matrimonio, vel ſaltem legitimatus ſit per ſubſequens matrimonium. Nullus etiam admittatur, qui ipſe aut eius pater artem manualem, vilem, vel ſordidam exercuerit, vel manibus ſuis compoſuerit, aut opus fecerit. Omnes autem doctores, qui nũc ſunt de collegio habeantur pro legitime admiſſis, ac ſi haberent omnes conditiones requiſitas. Si vero aliquis poſt ingreſſum collegij aliquã artem vilem exercere cęperit ſit ipſo iure, & facto excluſus à collegio, nec ad honores, aut emolumenta eiuſdẽ amplius admittatur. Item ſtatuerunt, quòd numerarij de collegio non ſint plures quatuordecim, ſupranumerarij vero poſſint eſſe quotquot reperiẽtur, dummodo habeant ſupradictas qualitates requiſitas, & ſi aliquis ex numerarijs decederet e vita,

tunc

tunc in demortui locum succedat ille de supranume rarijs qui primo fuerit admissus in collegiũ. Teneatur aũt quilibet ingrediens collegium, siue fuerit doctor artium vel medicinę tm̃, siue artium, & medicinę simul soluere florenum vnum, siue solidos triginta duos pro quolibet doctore de collegio numerariorum, & pñtium actui, exceptis filijs, vel nepotibus ex filio masculo doctorum de collegio, qui sint penitus ĩmunes à p̃dicta solutióe si tñ habuerint cõditiones requisitas. Teneatur tñ quilibet ingrediẽs collegium cuiuscunq; cõdõnis fuerit soluere bidello quatuor asses denar. Placẽ. qui bidellus obligetur scribere, vel scribi facere nomẽ cuiuslibet doct. qui tunc in collegiũ recipitur ꝓpè noĩa reliquorum doct. de collegio in matricula cõsueta scriptorum. Añquã autẽ qs ĩgrediatur collegium legãtur ei oĩa statu. coll. ne sub ignorãtię clypeo ea violare p̃sumat

Nonũ statutũ, De examinandis, & approbandis ĩ Chirurgia.

Itẽ statuerunt, & ordinauerunt, ꝙ nullus possit examinari & approbari ĩ chirurgia, nisi studuerit in studio publico, & audierit chirurgiã a doctore approbato ipsã legẽte duob. annis ad minus, praticaueritq; cum approbato & famoso chirurgo annis duobus, de quorum ꝓbatióe stetur sacramẽto examinãdi, nisi mãifeste cõstaret oppositum, feceritq; vnum actum publicum ĩ chirurgia ĩ gñali studio, de cuius ꝓbatione stetur ipsius examinãdi, & vnius testis sacramẽto, vel faciat vnum examẽ priuatum in pñtia doct. medicinę collegij Placẽ. aut disputationẽ vnã publicã ad quã vocati sint doct. medicinę collegiati, & vocati ẽt sint scholares, tã artium q̃ medicinę, si q tunc fuerint. Postea accipiat examinãdus duos

medicinę doct. de collegio medicorum numerariorum ĩ ꝓmotores, q̄ debẽt ipſum examinãdum p̄ntare ĩ eccleſia S. Donini ĩ die p̄cedente diẽ examinis D. rectori, ſiue vicerectori ſi fuerit, D. Priori, ſiue viceppriori collegij artiſtarum & medicorum Placen. & dñis medicinę doc. qua p̄ntatione facta D. rector ſiue D. Prior vel eorum viceſgerẽs det ſacramẽtum examinando q̄ ſtuduerit, & praticauerit tp̄e debito, & vt ſ. & q̄ ſuos fecerit actus neceſſarios, necnõ det ſacramẽtum ꝓmotoribus de ſufficientia, aſſignetq́; diẽ & horã audiẽdę miſſę ſpiritus ſancti ĩ eccleſia S. Donini. Poſtq̃ miſsã ĩgrediatur D. Prior cum ꝓmotoribus doct. collegij, & examinãdus aulã ſiue camerã aut locum aliquẽ idoneum ipſius eccleſię ibiq́; ap̄piatur liber p̄ D. priorem in quo punctus debet aſſignari examinãdo, deĩde liber ap̄tus detur alicui ex iunioribus doctorum collegij, q̄ aut ĩ eo loco ap̄to, vel p̄ duas cartas añ vel poſt aſſignet vnum punctum ſolũmodo aut ĩ chirurgia Auicennę, q̃ cõtinetur ĩ duabus fen. ſ. tertia & quarta quarti, aut ĩ chirurgia Gal. q̃ cõtinetur ĩ tertio methodi medendi. Legatq́; examinãdus, & oĩo ſimiliter faciat, vt dictum eſt ĩ ſtatuto p̄cedente, qđ loq̄tur de mõ examinãdi ĩ artibus, ſiue medicina. Doctores vero arguere debentes a iuniore ĩcipiendo nõ poſsint vti niſi duob. argumentis p̄tinentib. & vna replicatiõe tm̃ ꝓ quolibet p̄tinente, & duob. ſolummodo imp̄tinentib. ſine replicatiõe. Soluat añ introitum examinis examinandus depoſitario ſiue Bidello lib. 30. & ſol. 5. imp. diuidendas vt infra. Primo pro D. Priore collegij florenum vnum in moneta. Pro Notario collegij, & priuilegio finito cum ſigillo collegij medicorum librã

vnã & ſol. 12

Pro Bidello solidos sexdecim. Pro apparatu salę siue loci examinis solidos octo. Pro colatione in examine, siue post examen libram vnam, & solidos duodecim. Pro duobus promotoribus libras decem. Pro collegio libras quatuordecim. Pro oblatione in missa solidos quinq;. In omnibus alijs teneatur modus, vt in superiori continetur statuto; hoc excepto, quòd dominus Prior, siue viceprior post approbationem debet, aut facere, aut fieri facere orationem, & auctoritate collegij dare licentiam illi approbato in Chirurgia, praticandi, aurum portandi, & dare licentiam notario collegij de vno, aut pluribus instrumentis publicis conficiendis, nulla autem alia insignia dari debent.

Decimum statutum, De officio Chirurgorum, & de Chirurgis licentiatis.

CVM tanta sit nonnullorum Chirurgorum temeritas nedum legitimè approbatorum, quibus hęc ciuitas iãdiu caruit, sed etiam omnino imperitorũ, vt nulla habita ratione medendi, nec authoritate, non contenti sua manuali arte passim audeant veri physici medici omnia obire munia, cum maxima pauperum, & ignorantium pernicie; Iccirco statuerunt, & ordinauerunt, vt nullus merus chirurgus, siue Barbitonsor post hac chirurgię limites excedere præsumant, idest quòd non possint aliud morbi genus curare præter illos, qui sunt in superficie corporis, & quando egent opera manuali, vel aliquibus medicamentis localibus, neque audeant absq; consensu physici flobotomare, & mittere sanguinem

guinem

guinem, vel hæc fieri iubere, nec ex ſe vrere ideſt cauteria (vulgo fontanellas dicta) facere, aut exhibere decoctum ligni indici, ſiue vngere quemquã morbo gallico laborantem ſine conſilio alicuius phyſici doctoris. Demum nullo modo ijdem præſumant cuiquam ordinare decocta, ſyrupos, medicamenta vlla, ſiue electiuè (vt dicitur) educentia, ſiue lenientia, Trociſcos, confectiones interius aſſumendas, Medicamenta narcothica ideſt ſomnifera, Clyſteria fortia, & acria, niſi repentina neceſsitate coacti id fecerint. Et tunc teneantur quàmprimùm medicum phyſicũ illius languentis certiorem facere, vel eo deficiente D. Priorẽ collęgij, vt ſi in aliquo erratum fuerit id quamcitius corrigi poſsit. Quod ſi prædictis abſque memorata cauſa contrauenerint, vel ea ſubſiſtente notificationem ſupra requiſitam omiſerint, tunc & ipſo iure incurrant pœnam aureorum decem pro qualibet vice applicandorum. fiſco Illuſtriſsimi Ducis pro dimidia, & pro alia dimidia collegio dominorum artium, & medicinę doctorum. Et ne chirurgi huic ordinationi contrauenire poſsint ſub prætextu inopię ęgrotantium, quos minori mercede quàm phyſici curare profitentur. Iccirco ſtatuerunt, quòd D. Prior vel viceprior collegij debeat viſitare prædictos infirmos ſemel, & bis, & pluries, ſi opus fuerit, & illis quæ fuerint neceſſaria gratis & amore Dei ordinare. Conceſſerunt tamen licentiam chirurgis dogmaticis, & approbatis exercendi omnia ingenia curatiua neceſſariò inſequentia curam morborum manualium. Item ſtatuerunt, quòd quilibet chirurgiam exercens, ſi non fuerit

legitimè approbatus, vt in superiore statuto debeat saltem habere licentiam à collegio dominorum medicorum, vel ab aliquo eorundem vna cum D. Priore, qui ex mandato collegij illum si dignum inuenerint licentiare possint, & licentia ipsa redigatur in scriptis vna cum sigillo collegij, nec tales chirurgi togas talares, nec breues sericas gestare possint, nec pallium supra ęquos, siue mulas. Vt autem hoc munus à collegio agnoscere videantur, teneantur dare vnum par chirotecarũ cuilibet Doctori de collegio. Si vero aliquis ausus fuerit chirurgię actus exercere non obseruato præsenti statuto incurrat pœnam aureorum decem modo & forma de quibus supra. Addendo quòd nullus possit in chirurgia licentiari nisi praticauerit prius per sex annos ad minus cum altero approbato chyrurgo; Idque suo sacramẽto, & duobus iduneis testibus ꝓbari teneatur, nisi manifestè cõtrariũ deprehẽdatur.

Vndecimum Statutum, Ad tollenda scandala imperitorum.

ITEM ad euitanda quæ sæpissimè occurrunt pericula propter arrogantiam, & imperitiam multorum, qui falsò medicinam profitentur, statuerunt, & ordinauerunt, quod nulla sit persona cuiscunque gradus, & conditionis quæ etiam si legitimè alibi approbata fuerit posit in Ciuitate Placentiæ, neque in eius districtu, seu comitatu vllo modo medicinam neque eius partem aliquam exercere nisi licentiata fuerit a collegio Dominorum medicorum Placentiæ his modo

de & forma de quibus in præcedentibus ſtatutis, & ſi non fuerit legitimè, & per examina vt decet collegiatorum proborum approbata, niſi & quouſquè approbationem a collegio prædictorum Dominorum medicorum Placentiæ iuxta modum & formam in ſtatutis prædictis contentam fuerit conſecuta, exceptis tamen illis de quibus in ſtatuto &c, ſub pœna de qua in capitulo præcedenti toties exigenda quoties in prædictis, ſeu aliquo prædictorum fuerit contrafactum, ſeu contrauentum &c. Et etiam ſi aliquis aromatarius vel ſpeciarius a ſe vel alterius perſonæ conſilio det medicamenta aliqua, quæ perſona non ſit de collegio dominorum medicorum Placentinorum, aut a collegio ipſorum licentiata, vel approbata modo quo ſupra, ſiue talis aromatarius vel ſpeciarius dederit vel dare modo aliquo tẽtauerit medicinas ſolutiuas, narcoticas, clyſteria fortia, aut res aliquas venenoſas, ſiue iuſſerit mitti ſanguinem; Nullus de collegio, neque aliquis de eis quibus data eſt medendi licentia poſſit ordinare aliquid ad apothecam illius aromatarij, ſub pena priuationis ingreſſus collegij, & emolumentorum, & honorum eiuſdem ſi fuerit de collegio, ſi vero non fuerit de collegio, intelligatur ipſo iure amiſiſſe licentiam medendi, nec facultas ingrediendi collegium, aut medendi poſſit eis reſtitui niſi prius ſolutis ducatis decem auri, reponendis prope theſaurarium collegij applicandis, & expendendis ad libitum totius, aut duarum partium ex tribus collegij, huiuſmodi tamen exceſſus Aromatariorum prius notificati ſint Domino Priori, vel vicepriori, qui de prædictis

informationes ſumere debeat ab optimis, vel fide-dignis, teſtibus, ad hoc vt præcipere poſsit, aut prꝫcipi facere cuilibet doctori ſiue de collegio, ſiue non, ne debeant ordinare ad apothecã delinquentium vtſupra. Si vero Aromatarius aliquis qui errauerit voluerit in gratiam collegij præfati redire nõ admittatur &c. niſi prius ſolutis ducatis quinque auri, & poſtea ſtet per menſem quilibet medicus antequam aliquid ordinet ad apothecam illius delinquentis, qui menſis incipiat à die, & hora ſolutionis &c. ſub pęna eiſdem ſuperius appoſita, & omnia quæ chirurgis vetita fuere in aromatarios etiam referantur.

Duodecimum ſtatutum, Qualiter debent eſſe Aromatarij, quouè modo ſe debent gerere in ſuis officinis, & in functione ſui officij.

ITEM quia per imperitiam Aromatariorum multa fiunt quæ inferunt maximum eorum conſcientijs detrimentum, infirmis vero mortis periculum, & medicis damnum, & dedecus. Statuerunt, quod nullus medicus poſsit aliquid ordinare ad apothecam alicuius Aromatarij, niſi ille apothecarius ſit examinatus, & approbatus ab alijs aromatarijs approbatis, iuxta modum, & formam ſibi aliàs conſuetam. Quod quidem examen fieri debeat in pręſentia D. Prioris medicorum, aut alicuius de collegio medicorum electi ab ipſis, vel à maiori parte ipſorum. Qui aromatarius ſic approbatus poſtea reponatur in matricula eorum qui poſſunt medicinalia componere, & ad quorum apothecas poſſunt

medici

medici res medicinales ordinare. Et quòd nullus de aromatarijs componere præſumat aliquod ſolutiuum longo tempore duraturum, neque aliquod ſtupefactiuum ſine præſentia alicuius medici, & teneatur dominus pro illo tempore Prior ire ad vidẽdum, aut alium ſic vt ſupra electum mittere ad videndum ſi res compoſitionem fiendam ingredientes ſunt bonę, & iuſti ponderis. Quas res ſic ordinatas medicus tunc ibi præſens faciat in mortario miſcere taliter quòd nulla res poſſit extirpari, neq; falſificari, & poſtea re perfecta ponatur ſcriptum anni, diei & horę illius compoſitionis, & nomen medici in cuius præſentia id actum eſt. Si vero reperiretur aliquis aromatarius renitens, aut rebellis &c. Nullus de collegio medicorum Placen. vel etiam approbatus ab eo poſſit ire ad ordinandum aliquod medicinale in officina ipſius rebellis, ſub pęna ſolidorum viginti pro quolibet de duabus prima, & ſecunda vicibus. Et ſi ſcienter medicus aliquis de collegio perſeueraret vltra ſecũdam vicem citatus, & pręmonitus a domino Priore, vel vicepriore ſit ipſo facto collegio priuatus. Si vero non fuerit de collegio, ſit priuatus licentia medẽdi. Quod ſi voluerit iterum collegium ingredi, vel recuperare reſpectiue licentiam medendi, teneatur ſoluere ducatos duos auri boni, & iuſti ponderis, reponendos propè theſaurarium collegij, & ad placitum maioris partis collegij expendendos.

Tertium decimũ ſtatutũ, De controuerſijs inter collegiatos per Doctores collegij ſedandis.

ITEM quia aliquando occurrunt aliquę controuerſię

uersię inter illos de collegio in factis pertinentibus ad collegium. Statuerunt quòd controuersię tales omnino remoueantur per D. tunc Priorem, aut vicepriorem, & vnum alium de collegio ab ipso collegio electum. Si vero in D. Priorē, aut vicepriorē, & alium vel alios de collegio verteretur discordia in factis collegij. Fiat electio ad tempus per collegium vnius viceprioris, & alicuius de collegio qui debeant determinare eam controuersiam citra tres dies, ad summum à die notificationis similiter vsque ad tres dies fiat terminatio controuersiarum à Domino Priore collegij, & ab alio electo, si inter dominos de collegio intercedat ranchor, odium, aut controuersia aliqua quæ si fuerit (quod Deus auertat) multò melius est, quòd amoueatur per illos de collegio medicorum, quàm quòd transeat per alias manus, & alia iudicia in dedecus illorum de collegio medicorum Placentiæ.

Quartum decimum statutum, De modo praticandi, & cum quibus possint praticare illi de collegio, & qualiter se inuicem debēt habere cum sunt vocati plures eorum ad ægrotantium curam.

ITEM statuerunt, & ordinauerunt quòd nullus physicus cum alio physico, neq; chirurgo, neque chyrurgus cum chyrurgo, neq; cum physico possint praticare nisi omnes tales fuerint, aut de collegio, aut ab eo approbati, aut saltem licentiati, sub pęna priuationis collegij si fuerit de collegio, & sub pœna auferendę sibi licentiæ praticandi cum alijs, & medendi si fuerit de his quibus data est per collegium

legium licentia praticandi, & medendi. Si vero voluerit aliquis eorum restitui ad collegium, vel ad licentiam praticandi soluere teneatur Ducatos duos boni, & iusti ponderis pro quolibet Doctore de collegio. Si vero acciderit, quòd aliquis forensis physicus, aut chyrurgus bonæ tamen conditionis, & famæ vocatus ad curam alicuius personæ existentis in Ciuitate Placentiæ, possint tam illi de collegio, quàm habentes licentiam praticam exercere cum illis talibus forensibus. Si vero vnus medicorum collegij, aut plures fuerit vocatus vel vocati ad curam alicuius infirmi, postea superuocatus fuerit vnus alius, vel alij medici de collegio, aut de quibus sit data licentia praticandi, non præsumat aliquis ordinare, neque pronosticum facere, nisi prius alloquutus fuerit illum, vel illos, qui prius visitauerunt infirmum. Et hoc vbi necessitas non vrgeat, nam si immineret periculum infirmi in expectando alium vel alios D. Priores medicos, tunc vocatus ordinet iuxta necessitatem, vt sibi videbitur semper tamen seruando honorem Prioris medici. Teneantur etiam medici superuocati completo collegio, prolata sua sententia, & tandem facta agendorum conclusione sumere licentiam ab ęgrotante, vel ab affinibus, vel ab assistentibus, & relinquere prouinciam, siue curam (nisi aliter eis placuerit) primo medico, ita enim conseruatur honos medicinæ, & inter medicos, fouetur illa caritas, quam Dñs noster Iesus Christus pręcepit Apostolis suis dicens, Hoc est pceptũ meũ, vt diligatis inuicem sicut dilexi vos &c. Sed

quia

quia aliqui ſcioli, ac temerarij aliquando reperiuntur, qui& honorem, & charitatem paruifaciunt. Ideo ſtatuerunt, & ordinauerunt, quòd deficientes in aliquo horum ſoluant pro vna quaque vice aureum vnum. Si vero illi moniti à D. Priore pluriès, ac ſępius peccauerint, tunc collegio & aliorum medicorum conſortio tãquã pertinaces, temerarij, incorrigibiles, parumque honoris, & charitatis amatores priuentur, aut facultate medendi ſi non ſint de collegio, nec poſſint admitti amplius in collegium, aut recuperare licentiam medendi, niſi prius ſolutis decem aureis theſaurario collegij. Inſuper ad tuendam Medicorum dignitatem, ne quandoque diuerſę apparentes eorundem ſententię imperitos offendant, neuè timor ęgrotantibus incutiatur. Statuerunt, & ordinauerunt, vt medici qui ſuperuocati fuerint ad aliquem infirmum vna cum ordinario medico debeant inter ſe, & ſeorſum ab alijs, & præſertim ab ęgrotante collegiare, ita tamen vt detur locus ſeniori de collegio proferẽdi ea quæ in congreſſu fuerunt concluſa, Primo vero Medico, qui erat in cura ſcribendi ordinata, ſiue receptas. Ordo enim, vt atteſtatur Galenus, ſecundo de cauſis pulſuum Cap. XIIII. naturæ, ſi quid aliud familiaris eſt.

Quintum Decimum ſtatutum, De modo ſeruando per Medicos in viſitando medicos ægrotantes.

ITEM ſtatuerunt, & ordinauerunt, quòd quilibet medicus de collegio Placen. vocatus, ſiue requiſitus ad curam alterius Medici, vel alterius de

famili-

familia propinqua medicorum de collegio, teneatur ire, & caritate, & ea ſolicitudine, vt decet mederi, nullo pręmio deſiderato. Sic enim fraterna & diuina caritas iubet.

Sextum decimum ſtatutum, De modo ſeruando in funeralibus illorum de collegio, vel de eorum familia per alios de collegio.

ITEM ſtatuerunt, & ordinauerunt, quòd cum aliquis moritur de collegio aut perſona aliqua arcta cognatione coniuncta alicui de collegio, & ſecum cohabitans facta notitia per propinquos defuncti illis de collegio, Teneatur tunc D. Prior, vel viceprior collegiatim ire aut ſaltem cum collegio adeſſe in loco debito, & hora debita funeralium. Et ſi defunctus fuerit vnus ex illis de collegio, teneatur ille cui iniunxerit D. Prior, vel viceprior habere orationem aliquam funeralem.

Decimum ſeptimum ſtatutum, De diſpenſationibus, qualiter, & quomodo fieri debent.

ITEM ſtatuerunt, & ordinauerunt, quòd ſi accideret aliquā fieri diſpenſationem contra aliqua in his ſtatutis contenta, ſeu diminutionem expenſarum, quod id ponatur, ad calculos, ſiue ballotas inter doctores numerarios de collegio illius facultatis, ad quam pertinet talis prouincia, vel ambarum facultatum, ſi ad ambas facultates pertinebit. Et D. Prior habeat duo vota. Alij vero tantum vnū, & ſi maior pars collegij affirmabit nego-

tium affirmatiuum, obtineatur, Si vero negabit, sit totum negatum, & aliter non disponatur.

Decimum octauum statutum, De forma sacramenti dandi in ingressu collegij.

ITEM quia multoties non intelligitur sacramẽti forma in ingressu collegij; statuerunt, & ordinauerunt, quòd quilibet ingrediẽs collegium iuret primo non tractare aliquid, quod sit contra statum, neque personam Illustrissimi, & Excellentissimi D. D. Octauij Farnesij Placentiæ Ducis, & eius successorum, & obedire D. Priori, & successoribus suis in licitis, & honestis, seruare statuta, tã edita, quàm edenda, & nunquam tractare aliquid quod sit contra hoc collegium immo ipsum vbique pro viribus defendere, & extollere.

Decimum nonum statutum, De euitando periurio.

ITEM quia periculum videtur de aĩmarum illaqueatione in accipiendis sacramentis. Statuerunt & ordinauerunt, quòd cum aliquis iurat seruare statuta &c ipso postea non seruante, ex fragilitate humana, sicuti plurimis hominum sæpissimè accidit peccare, non habeatur pro periuro, vbi requisitus per Dominum Priorem, aut vicepriorẽ collegij medicorum, soluat solidos decẽ monetæ.

Vigesimum statutum, De pœna vocati, & non venientis ad collegium.

ITEM statuerunt, & ordinauerunt, quòd Aduocatis

uocatis Doctoribus de collegio per Bidellum, aut alterum eius nomine ad collegium, ipſis ſeu aliquibus eorum non accedentibus tempore ſtatuto à D. Priore ad congregationẽ pro ſingulo teneatur ſoluere ſolidos quinque pro qualibet vice; niſi vrgente legitimaq́; cauſa impediti fuerint, quã Domino Priori pandere debeant, niſi ex ſe eluceſcat, ſicuti e morbo laborantes, & ab vrbe abſentes, quæ pecuniæ pęnes theſaurarium collocentur, ipſeq́ue abſentium nomina pro qualibet congregatione annotet, vel alter Doctor de collegio, cui hoc onus à domino Priore aſcribatur.

Vigeſimum primum ſtatutum, De pęnis ſiue mulctis inferendis, & exigendis.

Postremo ſtatuerunt, & ordinauerunt, quòd ſi contingeret aliquem ex Doctoribus de collegio incurrere in aliquam pęnam pecuniariam, de quibus in ſuperioribus ſtatutis cuius ſolutio malitiosè differatur, tunc theſaurarius teneatur retinere pecunias conuentuum, ſiue ingreſſus collegij cótingẽtes delinquẽti ad eã ſummã ad quã aſcẽdit pęna. Et ſi dictus theſaurarius aliter facere p̃ſumpſerit, de ſuo teneatur in duplũ, & ſuo priuetur officio. Eius aũt ſucceſſor dictam pęnam dupli retineat ex portione eidem contingenti, vt ſupra. Si vero aliquis delinquens medicus non fuerit de collegio & noluerit ſoluere pęnã pecuniariã ꝑ eũ incursã, tunc poſt primã, & ſecundã monitionẽ D. Prioris, vel viceprioris ei factã in p̃ntia duorũ de collegio, priuetur facultate & licẽtia medẽdi, nec ad eã reſti

tui possit, nisi solutis prius aureis decem auri boni, & iusti ponderis, & hec quo ad pęnas applicandas collegio. In alijs vero applicandis partem Fisco, partim collegio D. Prioris officium sit, vel viceprioris vna cum alio doctore de collegio per eũ eligendo instare pęnes Principem vel Iusdicentes ab illo deputatos, pro eorum executione, & consequutione pecuniarum collegio spectantium.

Vigesimum secundum statutum, Qualiter medici sunt obligati facere circa infirmos, vt confiteantur sacerdoti peccata sua.

CVM infirmitas corporalis nõnunquam ex peccato proueniat dicente, Domino, languido, vade & noli amplius peccare, ne deterius aliquid tibi contingat, Præsenti Decreto statuimus, & districtè pręcipimus medicis corporum, vt cum eos ad infirmos vocari contigerit, ipsos ante omnia moneant, & inducant, vt medicos aduocent animarum, vt postquàm fuerit infirmo de spirituali salute prouisum, ad corporalis medicinę remedium salubrius procedatur, Cum cessante causa cesset effectus; Hoc quidem inter alia huic causam dedit edicto; quod quidam in ęgritudinis lecto iacẽtes, cum eis à medicis suaderetur, vt de animarum salute disponant, in desperationis vinculum incidunt. Vnde facilius periculum mortis incurrunt; Si quis autem medicorum huius nostrę Constitutionis postquam per prelatos locorum fuerit publicata transgressor extiterit ab ingressu ecclesiæ arceatur ad arbitrium ipsorum Reuerendorum

Prelat.

Prelat. & ſub pęna in Bullis ſummorum Pontificum contenta mulctetur. Cæterum cum anima ſit multo pretioſior corpore, prohibemus ſub pœna decem aureorum applicandorum iuxta Decretum Excellentiſs. Ducis in ſtatutis, pręter pœnam à Reuerendis prelatis aſsignandam, & inferendam, ne quis medicorum pro corporali ſalute aliquid ęgrotis ſuadeat, quod in periculum animæ conuertatur.

XXIII. ITEM ſtatuerunt, quòd ſi caſus acciderit Placen. iterum legatur, & vigeat ſtudium generale, tunc quilibet doctor publice actu legens poſsit collegium ingredi in illa facultate in qua legerit non obſtantibus in alio ſtatuto ſtatutis.

XXIIII. ſtatutum, Ad euitandas impoſturas, ſophiſticationes, & adulterationes, quæ à ſeplaſiarijs in componẽdis medicamentis, & cæteris per ipſos vendendis in dies committuntur.

QVONIAM notum eſt aliquos Pharmacopolas partim ob ſimplicium medicamentorum ignorantiam, huic enim rei pauci eorum noſtra tempeſtate ſunt intenti; partim etiam propter eorundem malitiam in componendis medicamentis, & cæteris vendendis ſæpiſsimè a ſcopo, & intentione medicorum, & à veritate, & ęquitate deuiare, cum ægrotantium, & indigentium damno, & medicorũ dedecore; Ideo ſtatuerunt, & ordinauerunt vt illi aromatarij ſiue ſint in Ciuitate Placentiæ, ſiue in eius diſtrictu, & comitatu habitantes, qui in componendis medicamentis cuiuſcũq; fuerint conditionis,

tionis, siue in quibusuis alijs vel simplicibus, vel compositis ab ipsis quomodolibet vẽdendis a debita & propria rerum qualitate, quiditate, numero, mensura, pondere, ordine, & proportione defecerint, seu deuiauerint, puniri debeant in scutis decem auri pro vice Fisco pro dimidia, & pro altera dimidia collegio dictorum dominorum phisicorum collegij Placentiæ applicandis, & etiam vltra id quòd nullus de dicto collegio aliquid ordine ad apothecam illius per sex menses proxime venturos sub pęna priuationis singulorum emolumentorum dicti collegij, nec possit ille aromatarius, qui in aliquo prædictorum aberrauerit gratiam dicti collegij recuperare, nisi prius solutis scutis duobus auri pro singulo doctore dicti collegij; & hoc statutum locum sibi etiam vindicet in duodecimo, & vndecimo statuto.

OCTAVIVS Farnesius Placen. & Parmæ Dux II. &c. Exhibitæ nobis fuere pro parte Collegij Dominorum artium, & medicinæ doctorum huius nostræ Ciuitatis sanctiones & statuta in præsenti volumine descripta, ab ipso collegio nuperrimè condita, seu potius correcta, & in melius reformata, nobisque suppliciter petitum, vt illa approbare, & confirmare vellemus. Nos autem eis visis, & habito etiam superinde voto Consili nostri Placentini à quo illa considerari mandauimus, instituta huiusmodi, vtpotè publicè vtilitati, ac etiam ipsiusmet collegij dignitati prospiciẽtia, approbatione nostra digna censuimus. Iccircò

cò præſentium tenore illa prout iacent ex certa ſciē tia, & de plenitudine noſtræ poteſtatis confir mamus, & approbamus, ac robur perpetuæ firmitatis adijcimus, & ab omnibus ad quos ſpectat obſeruari mandamus contrarijs non obſtantibus quibuſcunque. Harum teſtimonio literarum manu noſtra ſubſcriptarum, & ſigilli noſtri appenſione munitarum. Dat. Placentiæ die quinta Ianuarij. M. D. LX.

Octauius Farneſius.

Locus ſigilli.

Io. Baptiſta Picus Secr.

Matricula venerandi collegij ſpectabiliũ artium, & medicinę doctorum Ciuitatis Placentiæ.

D. M. Vbertinus de Pergamo medicinę doctor.
D. m. Petrus de Burgo nouo, medicinę doctor.
D. m. Thomas de Laleuoratica, medicinę doctor.
D. m. Bernardus de la Muſſa, chirurgus.
D. m. Bernardus de Ronchoueteri chirurgus.
D. m. Antonius de Abbatibus, artium & med. doc.
D. m. Bartholomeus de Gãbarellis, art. & med. d.
D. m. Dñicus de Albareſanis artium & med. doc.
D. m. Ioannes de Burlegis artium & med. doc.
D. m. Paulus de Caſate, chirurgus.
D. m. Ioannes de Raynerio, art. & med. doctor.
D. m. Vbertinus de Rizollo, art. & med. doc.
D. m. Antonius de Ruſticis, art. & med. doc.
D. m. Aloyſius de Burla, art. & med. doc.
D. m. Stephanus de Rebuffis, art. & med. doc.
D. m. Ioannes de Caſate chirurgus.
D. m. Franciſcus Arteria, art. & med. doc.
D. m. Ioannes Matheus de Gradi, art. & med. doc.
D. m. Michael de Caſate, Chirurgus.
D. m. Apolinaris de Offredis de Cremona, artium, & medicinę doc.
D. m. Io. Franciſcus de Robiate, art. & med doc.
D. m. Albertus Crucianus, art. & med. doc.
D. m. Iacobus de Captaneis de arſago, ar. & m. d.
D. m. Ioannes Agagarius, medicinæ doctor.

D. m. Aloysius Rusticus, artium & medicinę doctor.
D. m. Franciscus Rusticus, artium & med. doc.
D. m. Ambrosius de Birago, artium & med. doct.
D. m. Albertus de la Porta, artium, & med. doc.
D. m. Petrus de Fontanili, artium, & med. doct.
D. m. Iacobus de Casate, Chirurgus.
D. m. Lazarus Thedaldus, artium, & med. doc.
D. m. Gregorius de Pomario, artium doc.
D. m. Matheus de Bilegno, artium, & med. doct.
D. m. Lazarus Datarus, artium doctor.
D. m. Gregorius de Pomario, medicinę doc.
Reuerendiss. D. D. Ioannes Campigius, Dei & Apostolicę sedis gratia Eps Placen. Comes ac Duc. consi. artium doctor.
Magnificus D. Thomas de Riete, miles Comes, ac Duc. consiliarius, artium doc.
D. m. Petrus de Masarata Prothonotar. artiũ doct.
D. m. Augustinus de Torano, art. & med. doc.
D. m. Andreas de Fasollis, artium, & med. doct.
D. m. Iulius de Milijs, artium, & med. doct.
D. m. Franciscus de Ferrarijs, artium, & med. doc.
D. m. Franciscus de Burla, artium, & med. doct.
D. m. Lazarus Datarus, medicinæ doctor.
D. m. Iacobus Toranus, artium & med. doc.
D. m. Antonius Rusticus, artium doctor.
D. m. Iacobus de Vianino, med. doctor.
D. m. Achilles de Cicilia, artium, & med. doc.
D. m. Antonius Rusticus, artium, & med. doc.
D. m. Petrus Antonius Rusticus, art. & med. doc.
D. m. Nicolaus de Fontanili, artium doctor.
D. m. Antonius de Bonetis, artium doctor.
D. m. Iacobus de Vianino, artium doctor.

D. m. Vincentius de Fontanili, artium doctor.
D. m. Euangelista Pochibellus, artium doc.
D. m. Florentius Cogrossus, artium & med. doct.
D. m. Io. Dñicus de Muzijs, artium doctor.
D. m. Bernardus de Miliacis Chirurg. & med. doc.
D. m. Ambrosius de Rosate, artium & med. doc.
D. m. Nicolaus de Fontanili, medicinæ doc.
D. m. Paulus de Iordanis, artium & med. doc.
D. m. Franciscus Guernerius, med. doct.
D. m. Io. Antonius de Machomeria, artium doct.
D. m. Aloysius de Castiono, artium & med. doct.
D. m. Vincentius de Fontanili, medicinæ doctor.
D. m. Palmarius Anguisola, artium & med. doc.
D. m. Io. Dominicus de Muzijs, medicinæ doc.
D. m. Euangelista Pochibellus, medicinæ doc.
D. m. Io. Antonius Datarus, artium doct.
D. m. Ioannes Cremascus, artium doctor.
D. m. Petrus de Brochis, artium & med. doc.
D. m. Iacobus de Brochis, artium & med. doc.
D. m. Aloysius Rusticus, artium doc.
D. m. Philippus de Mussis, artium doctor.
D. m. Io. Antonius de machomeria medicinæ doc.
D. m. Gerardus Bozareus, artium & med. doctor.
D. m. Antonius de Baldis, artium & med. doc.
D. m. Ioannes Cremascus, medicinæ doctor.
D. m. Aloysius Rusticus, medicinæ doctor.
D. m. Ioannes Antonius Datarus, medicinæ doct.
D. m. Antonellus Cicada, artium doctor.
D. m. Philippus de Musis, medicinæ doctor.
D. m. Theodosius de Miliis, artium & med. doc.
D. m. Franciscus Guarnerius, artium doctor.
D. m. Bartholomeus Aymus, artium & med. doct.

D. m. Antonius Dordonus, artium & med.doctor.
D. m. Io.Bartholomeus de Casate, artiũ & med.d.
D. m. Hieronymus de Columbo, artium & med. d.
D. m. Matheus Cerrus, artium & med. doct.
D. m. Bartholomeus Ferrarius, artium & med. d.
D. m. Petrus Antonius Meliorinus, ar. & med. d.
D. m. Stephanus de Ferrarijs, artium & med. doc.
D. m. Marsilius de Cremaschis, artium & med. d.
D. m. Antonellus Cicada, artium & med. d.
D. m. Io. Baptista de Cicilia, art. & med. doc.
D. m. Deiphebus de Arcellis, art. & med. doc.
